UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 6. Ex Christi Domini exaltatione in Cruce regnum accepit principium, quod dixit Isaias ex quatuor terræ partibus efformandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

§. 6. *Ex Chriſti Domini exaltatione in Cruce regnum accepit principium, quod dixit Iſaias ex quatuor terræ partibus efformandum.*

MYſticis omnino verbis expoſuit Vates hoc Euangelicus Iſaias, in quibus ex communi iudicio nedum Doctorum SS. & Catholicorum, ad litteram de Meſſia loquitur, ſed etiam Rabbinis ipſis conſentientibus. Primò, eius aſſerit natiuitatem & progeniem futuram ex familia Dauid per eiuſdem filiam, diuinis planè ſymbolis; *Egredietur Virga de radice Ieſſe* &c. Deinde natiuitatem eius proſequitur vſque ad mortem & ſepulturam eius, quam vaticinatur fore glorioſam, & ſubiungit; *Et leuabit ſignum in nationibus, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Ponderat Euangeliſta Diu. Ioann. quod Caiphas in Concilio contra Chriſti vitam, cum eſſet Pontifex, veritatem enunciauerit in ſententia quam decreuit, animo licet diabolico, & iniqua motus intentione; *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo*, ſcilicet Chriſtus, mors etenim illa medium erat & fundamentum, quo ſibi vniretur filij Dei & prædeſtinati, qui diſperſi per mundum vagabantur; quidam inter innumeros infidelitatis errores, Gentiles interpretor, alij inter diuerſas orbis terræ nationes, nempe Iudæi. Vt autem omnes coadunaret, atque ex eis vnum colligeret Regnum, vnamque Eccleſiam ſuper quam pleno dominio Chriſtus regnaret, adoraretur, & ſuper omnes Principes & Monarchas exaltaretur: expediebat vt mortem ſuam ſtabiliret, & quaſi fundamentum huius omnis machinæ Regni ſui collocaret. Quod Euangeliſta dicit moriendo facturum, ait Vates, declarando mortis genus, futurum in Cruce verbis illis: *leuabit ſignum in nationibus.* Sumitur metaphora à Principe & Duce potentiſſimo, qui regnum ſibi cupit ſubiugare, vel à tyranno iniuſtè occupatum extorquere, ſuæque coronæ victor adiungere. Hoc primum agit: vexillum attollit, multitudinem congregat, milites conſcribit fortiſſimos. Intendit Redemptor noſter cælorum Regnum ſibi conquirere, quantum concernit gloriam corporis, nominis ſui glorificationem, altiſſimæ ſedis ad dexteram Patris ſeſſionem, iudicemque viuorum mortuorumque conſtitui: nobis autem æternam gloriam vitæque beatitudinem adipiſci. Hoc primum vt dux inclytus aggreditur, milites conuocat, & quam prætendit annuntiat proclamatque conquiſitionem.

Hæ fuerunt illæ proclamationes quas D. Matthæus & D. Marcus teſtantur primas fuiſſe, quas propoſuit mundo prædicaturus Euangelium: *Cœpit Ieſus prædicare. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnum cælorum.* Et hoc proſecutus intentum, animum militibus excitans, exponebat & declarabat quis populus tali neceſſarius eſſet ſtratagemati: fortis nimirum & animoſus: etenim arduum eſt & multi laboris negotium, quod vires requirit non vulgares; *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed ſicut ad hoc ſtatuendum eſt quaſi in fundamentum & primò omnium, vexillum; *Eleuabit ſignum*: hoc fuit ipſa Crux: quandoquidem ſtatim eam oſtentauerit & extulerit dicendo: *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat Crucem.* Extollunt omnes Duces ſua ſigna ſuis apta militibus, Romani Aquilas, Caſtilani Caſtella, Leonenſes Leones, Aragonenſes rubra pepla; vexillum autem Chriſti, eſt Crux; *Signum filij hominis*, vocauit ita illud ipſe Chriſtus. Cum autem primus ipſe prodeat in arenam, hoc quoque vexillum apprehendit; nam non ſine ſpeciali diuinoque myſterio dixit hoc D. Ioann. *Baiulans ſibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum.* Illud *Exiuit* ſignificationem habet militarem. Egreſſus Ducis qui tendit regnum aliquod inuaſurus; & hoc ipſe D. Ioann. declarauit quando Dominum hunc conſpiciens egreſſum, certaminis indutum armis, eodem vſus eſt verbo; *Exiuit vincens vt vinceret.* Exiuit illuſtris ille triumphator, vt ſuperaret atque in triumphum duceret hoſtes ſibi infenſiſſimos, dæmonem, mortem, mundum, & infernum. Ad hanc exiens conquiſitionem contulit, ſibique comprehendit; *Baiulans ſibi*, id eſt ad illuſtriorem victoriam & triumphum, proprium ſuum vexillum, illud in aëra erecturus. *In eum qui dicitur Caluariæ locum*; hic etenim erat arena certamini deſtinata, quod initurus erat, ex iudicio D. Pauli contra Principatus & Poteſtates, *Expolians Principatus & Poteſtates*; illos exuens dominio, quod tyrannicè poſſidebant in mundo, omneſque mortales, ſummâ proſtrauit ignominia, victor ipſe ex arena reuerſus, triumphator, Dominus, Rex, eaque dignitate exaltatus, vt *In nomine Ieſu omne genu flectatur.* Itaque cunctis liquet omnem noſtri ſerpentis exaltationem in ligno conſiſtere.

Marginal notes: II. Sub hoc ſigno milites conuocantur. Matt. 4. 17. Marc. 1. 15. Matt. 11. 12. — Ioa. 19. 17. — III. Quid ſignificet Exiuit. Apoc. 6. 2. — Coloſſ. 2. 15.

7. §. Mox